in scã eterna redemp
tione in eterna. R. Lau
date dominum omnes ge
ntes. et collaudate eum o
mnes populi. V. Quoniam confir
mata est sup nos miseri
cordia eius. et veritas dni

tum in seculu
et non invenio
quo illam. Et qu
terram occup
ille respondens
ille. Dne dim
zhe ... mo

maris terra

Astrolog & geom: ‡ Cic. do[illegible]

homo garrulus in proverbi[illegible]

taculum hic ligneam columbam [illegible]

Theon dixit nec orationes nec carmina se-

anisse scripsere cum eos artificium calleret.

Thales hic Physicen primus & Astrol. secreta

deprehendit Solis Eclipsin primus prædixit

quæ fuit Olymp. 48 Anno 4. h. e. A.M. 3379

Huic tripus sive mensa aurea à piscatoribus

inventa cum res in lite versaret, eam sapienti

dari Orac. Apoll. tradita est, deinde per

manus sapientibus hominibus ad Solonem pervenit

& hic eam Delphos ad Apollinem qui dem hom.

sapientiss. remisit. Principia rerum statuit aquam.

Horatius emm. agr. C.)

Prologus Praefatio.

Pythagoras. Philosophus.

Erat ex insula Samos sive Cephallenia ad mare Jonicum ab Homero sic dicta a civitate Same ibid. metropoli. hinc inde studuit usque in Croton docuerit — & invidia occisus. Hic primus se Philosophum dixit. Praestigiator fuit. — Ursi. bov. Aquila — illa salutavit Pythag. in Navi dixit esse hom. in Metempsych. ? vid. etc.

Carmina ejus aurea vel ad Discipulos Sectatores in Phil. Fabricius in Biblioth. Gr. lib. II. c. 13. Auditores ejus 5. annos tacere debebant, nec colloqui nec dissenrere —

Antiphon dicitur orator Ath.

Demiphonis ~~fuit fuit~~ h. e. claritas vo[x] (nuli) qui fuit civis Atheniensis, filius. Phaniam Cremetis filiam duxit et

Archytas. Philos. Tarentinus

professionis Pythag. vide pag. antecedentem.

Theon, Philos. & sophista Progy. dicta

Thales. Miles. unus ex 7. Gr. sapient.

Apollonius

vel ille quem eruditum dicit Cic. qui simul Licinius vel Rhodius Illaei filius Callimachi Poetae discipulus

Argonautica perlegit Alexandriæ inde discessit in Rhodum ibi doc. & emendavit poemata — rediit Alexandr. ibi bibliothecarius cui infensus Calimachus Ibin scripsit. Argonautica ejus inter elegantia Græcorum referuntur carmina. quæ imitatus Virgilius. vel sæpe & interpretatus

Pergæus. Geometr.

Archimedes

Syracusanus ex Sicilia præcipuus Mathematicorum cum hoc & scriptis & machinis inventionibus in occupata civitate demonstraverit, ubi aliqualia tormenta — invenit. Ut & Marcellus eum Geometricum Briareum h. e. qui Capita 50. & armos 100 habuit sed hoc forsitan à civitate hecatontachiria & quod et adversus Titanes juvit h. fugit ab Olympo et — appellitaverit. Interim negligentia & Vaticinatione civium in honor Dianæ hostes potiti. Hic etiam domi suæ machinans invito Marcello à quodam milite examinatus est. quod Marcellus luxit flendo atque sepeliendo.

Komenius J.
Jan Amos

JANVÆ LL. COMENIANÆ.

Ex

Decem (à L. ad LX) Capitibus

MATHEMATICAM

exhibentibus.

ſub hyberni, tempus Examinis

IN ILLUSTRI GYMN. LESNENSI publico exploranda documento.

PRAXIS COMICA.

LESNÆ

Ex Typogr. DANIELIS VETTERI.
ANNO CHRISTI M. DC. LI.

ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, GENEROSIS, NOBILIBUS, REVERENDIS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS DOCTISSIMISQ; VIRIS &c.

Dn. ZBYGNEO de Goray GORAYSKI, Castellano Chelmensi &c.

D. SAMUELI à Wlostowice WLOSTOWSKI Terræ Sanocensis Iudici Regio.

Dn. WENCESLAO-THEODORO L. B. De Budowa.

Dn, ALBERTO De Buzenin BVZENSKI,

Dn. ERNESTO-LVDOVICO à BORGSTDORT Juniori, Hæred. in Radstock in Archi-Marchia.

Dn. IOHANNI-VLDERICO De Dobrzenic DOBRZENSKI.

Sereniss. HENRIETTÆ Palat. Rheni, jam RAGOTIÆ, Aulæ Magistro.

Dn.

Dn. CHRISTOPHORO AB VNRVH equitum Magistro.
Dn. VEIGARTO DE CHRZISZTIE SKRBENSKI.
Dn. IOHANNI HYPERICO }
Dn. IOHANNI KYTELINO } Inclytæ Reipubl. Torunen. Pastorib.
Dn. IOHANNI MVSONIO Ecclesiastæ Mariæburgensi.
Dn. IOHANNI Gerlach Pastori Catschoviensi.
Dn. IOHANNI LÆTO Okszæ in Min. Polon. Pastori.
Dn. IOHANNI DARES Volæ in Major. Polon. Pastori.
Dn. SIMEONI DANIELI à Semanina Civi Lesnæ Consulari.
Dn. HENRICO SCRETÆ Szotnowski de Zaworzic.
Pub. Notario Regio.
Dn. IOHANNI ROLLIO Consuli
Re-

Regiomontano & Vectigalium Marchiæ Præfecto Electorali.

Dn. IOHANNI VILLERT, Consuli Custrinensi.

Dn. PAVLO SPOLSKI de Spule Civi Trenczinensi in Hungaria.

Dn. MICHAELI HENRICI Civi Lesnæ Consulari.

Dn. IOHANNI MERKERO Civi Fraustadiæ Consulari.

Dn. WILHELMO SCHMEET, Dantiscano.

Dn. DANIELI SCHWEINERT Civi Lesnensi & Oenopolæ.

Dn. MATTHIÆ ELSNERO SS. Th. Studioso.

DDD. Parentib. Cognatis, Avunculis, Affinibus, Fratribus Patronis, Affinibus & Amicis

offerunt humillimè

ANDR. à Drohojow DROHOIOWSKI.
PAVLVS de Buzenin BVZENSKI.

CAROLVS SCRETA Szotnowski de Zaworzic.
ANDREAS ORLICIVS.
RAPHAEL GORZENSKI de Gorzen.
WILHELMUS PETRVS DOBRZIKOWSKI de Malejowa.
IOHANNES THEODORUS WLK de Kwitkowa.
HERTWIGUS DOBRZIKOWSKI de Malejowa.
ALEXANDER ab UNRUH.
VLADISLAVS SCHLICHTING de Bukowiec.
PETRUS ZYCHLINSKI de Zychlin.
CHRISTIANVS NIGRINUS.
THOBIAS KELLERVS.
IOHANNES ELSNERUS.
SIMON DLVGOSZ.
IOHANNES ROLLIVS.
IOHANNES TILESIVS.
DANIEL VETTERVS.
IOHANNES DARES.
NICOLAVS RACZEK.
CHRISTIANVS ALBINUS.
THOMAS ARNOLDVS.

ACTORES.

SCHO.

*

- SCHOLÆ, in quarum suprema, ACADEMIA, docentur facultates IV.
  - *Philosophiæ* quæ docet
    - *Sapere* per notitiam,
      - *Numerorum*, in Arithmetica
        - veteri ubi
          - Numeratio
          - Additio,
        - nova Algebra &c.
      - *Mensurarũ* in Geometria cujus sunt.
        - Puncta,
        - Linea, recta, cur
        - Angulus rectus,
        - Figura Circula.
        - Mensuræ.
          - Distan-
          - Capacita
          - tis, pro
        - Optica dimensio
      - *Ponderum* in Statica &c. &.
      - *Cæli* in Astronomia, cujus,
        - Disterminatio per
        - Ephemeridum
      - *Terræ* in Geographia per
        - dimensionem
        - disterminatio-
        - descriptionem
      - *Gestorum* in Chronologica Hi-
      - *Cogitationum*
        - præsentium
        - præteritarum
        - futurarum
        - in
    - *Agere* h. e. per virtutem vivere.
    - *Loqui* propriè ornatè modulatè per suas artes.
  - *Medicina*
  - *Iurisprudentia*.
  - *Theologia*

Artificiosa, cifris Romanis, Arabicis, Calculis.
Simplex rustica per paria, decusses Act. 1. Sc. 1.

Subtractio, Multiplicatio. Divisio. Sc. 2. 3.
Regula de Tri, Proportionum Sc. 4.
Regula Cossita cum suis speciebus Sc. 5.

va Spiralis, parallela, obliqua, perpendicularis.
acutus, obtusus.
ris, Triangula, Quadrangula.

tistrum, grana, digiti, pollex &c.
liquidis cochlear, &c.
aridis cyathus. &c.

Act. 2. Sc. 1.

distantiarum per Geodesiam. Sc. 2.
Circulos, Æquatorem, Tropicos, Zodiacum, Polos, Horizontem Meridainum.
cursum astrorum. Fixorum eum sphæra Octavâ. Errantium in Zodiaco.
Act. 3. Sc. 1.
confectio

terræ in longum & latum
nem regionum, habitabilium & inhabitabilium.
Sc. 2.
rerum & locorum notatu digniorũ
storia vetere vel recentiore. Sc. 3.
Logica Act. 4. Sc. 1.
Mnemonica Sc. 2.
Prognostica. Sc. 3.

C S

PERSONÆ.

Prologus.		Scylax.	Geographi
Pythagoras	Philosophi	Ortelius.	
Antipho.		Eusebius	Chronologi.
Architas.		Nauclerus	
Theon.		Simonides.	Logici
Thales.		Promethe9	
Apollonius		Lullius	Mnemonicus.
Pergæus.		Zadoc.	Prognostici
Archimed.		Chiron.	
Euclides.	Geomet.	Spudæus.	Studiosi
Orontius.		Philoponus	
Zenodorus.		Gusmannus	
Architas.		Emphyteu.	Arendarij
Hypsicles.		Palæmon.	
Procles.		Marchan.	Mercator.
Pappus	Staticus.	Corydon.	Rusticus.
Ptolomæus	Astronomi	Epilogus.	
Origanus.			

MATHESIS PROLOGVS.

PHilosophum *investigare causas rerū*, quid, unde, cur & quomodo unū quodq́; sit, *nemo dubitavit hactenus, Auditores omnium Ordinum præstantissimi,, nam qui circa universales & abstractas omnium rerum Ideas occupatur, dicitur* Metaphysicus, *qui circa corpora naturalia, rebusq́; concretas formas* Physicus; *qui circa rerum proportiones*, Mathematicus, *qui circa hominum mores*, Ethicus, *qui circa sermonis rationem*, Philologus.

Metaphysicus *contemplatur res à priori, non ut jam sunt, sed ut possibiles erāt, antequam erant, perscrutans quid hoc sit, esse aut non esse, fieri aut non fieri, existere aut vanescere, durare aut perire, quid item sit rerum identitas, diversitas, contrarietas. &c. Et quibus modis possit Ens Enti jungi, aut ab illo sejungi, vel Entitia plura sibi conglobari, ad ipsam usq́; re-*

rum universitatem, extra quam nihil sit.

Physicus *considerat res à posteriori, prout eas in mundo videt, ut quâ vi fiant, operentur, alterentur, &c. intelligat: cujus intelligentiæ summus apex est* Magia, *peritia scilicet producendorũ affectorum, (occultâ applicatione activorum ad passiva.) Hujus autem monstrum sunt præstigiæ, quæ in cantationibus, & excantationibus peraguntur, meræ Sathanicæ illusiones, strigibus relinquendæ. Quocirca ad Philosophandum necessaria requisita sunt, sensuum acrimonia, rationis sagacitas, et historia rerum vera et plena. Qvippe prænosse prius oportet aliquid esse qvàm in ejus essentiam, vel causas inquiras.* Ego, *quæ Philosophiæ viam adaperio,* Mathesis *audio, et rationẽ numerorum pervestigo in* Arithmetica, *mensurarum in* Geometria, *ponderum in* Statica. *Quamvis autem artium*

omni-

omnium olim Regina, nunc paſsim ſordidè habear, et amicis propè caream omnibus, tamen cum experimentum mei fieri Dionyſius aveat Syracuſanus, facere non poſsum, quin tantùm ſi non Viro, ſaltem Civi bono, per cultores mei gratificer. Vos, Spectatores, Apologū me potiùs innuere cogitate, quam Apologiam, dum artis in conſpectu veſtro, facio profeſsionem.

ACTVS I. SCENA I. ARITHMETICA.

Pythagoras. Antipho. Architas. Corydon.

PYth. Arithmetices præſtantiam *non eſt cur multis apud vos proſequar elogijs, Collegæ,* neceſsitatē *artis, multa alia commendat in ſocietate humana neceſsitas. Varia mortalium commercia, contractus varij, quibus ferè hominum conſtat conjunctio, hæc niſi opituletur qui conſiſtent? Jam verò rationes accepti & expenſi, tabularum conficien-*

darum ratio, numerus æquali inæqualive proportione in plures paucioresq; diſpeſcendus partes, & partium partes, cum Sorte integrâ vel extra ſortem, hac non adminiculante, qui ſubducetur? At qui in iſtis omnibus circumvenire et circumveniri æquè turpè ac perniciosũ eſt.
Antiph. *Facile aſſentior. Imò prudentiam adeoq; humanitatem è Mundo tollere, eos exiſtimo, omnem qui* Arithmeticam *è vita ſublatam volunt, cujus beneficio res publicæ privatæq; benè habent undiq;.* Archit. *Utriq; veſtrum ultrò ſubſcribo ac lubens. Scio enim quod* Arithmeticus *res numeroſas, quoties obtingunt induſtriè tractans, per numerationem,* Additionem, Subtractionem, Multiplicationem, Diviſionem, Proportionũq; regulã, *omnia ſua peragat. Ruricolæ computant ſĩplicius per* paria, decuſſes, duodenas, quindenas ſexagenas; *ſubtilius Arithmetici per* unitates

tates, Decades, Centenarios, Millenarios, Myriades: *Recentiores etiam per* Tonnas *et* milliones: *Unitas enim decies repetita, facit* decē *decies decem* centū; *decies centum* mille: *decies mille est* myrias; *decem myriades* tonna; *decē tonnæ (id est millies mille)* millio. *Notæ numerales Græcis non aliæ fuerunt, quàm literæ alphabeti sui.* α β γ δ. *&c. Romani septē literas solum adhibuerunt I. V. X. L. C. D. M: Arabes ingeniosè excogitarunt decem cifras; quibus numerosissima quæq; (vel arenâ Maris) exprimi possunt: Tandem inventi sunt calculi super Abacum disponendi, (ex. gr.) si quis dicatur habere mille,* sexcentos octuaginta quatuor *aureos, id sic annotabitur.*

Romanis numeris,	Arabicis Cifris	Calculis.
MDCLXXXIV.	1684.	

Numerus par dicitur, qui in duas æquales partes dividi potest, (*ut* 2, 4, 6, 8, *&c.*); Impar, *qui non potest,* [*ut* 3, 5, 7, 9, *&c*]; Fractus, *qui partem ruptam habet, ut sesqialter* [$1\frac{1}{2}$] Cor. *Hominum fidem! quam operosè isti omnia, nec satis expediunt;* Paria, decusses, duodenas, *et cætera: ruricolis aptat Philausauphus, quid si hominem per circulos & lineolas rectas transversasq; hominem numeros docuero Corydon, longè feliciùs?* Arch. *Ha, ha, he! Corydon ardebat Alexin! huc ades ò bellum Caput, & arcana artis pande magistralia.* Cor. *Ridentem dicere verum quid vetat agricolam? Mille sexcentos octoginta quatuor numeris Romanis, Arabicis expressisti & Calculis; at verò*

Ire per ambages cum sint compendia præsto,
Stultitiæ summum dixeris esse gradum.

Arch. *Utinam compendia ista nesciant dispendia?* Cor. *Cur ita? En summam tuam brevibus orbiculis & lineolis longè*

subdu-

subductam facilius, ut nec Abaco opus OI
sit nec Calculis dum obvius quisq́ OI
paries vel quodvis suppedaneum me- OIII
am admittit Arithmeticam, si per OIIII
Cruces rem expressero citra ullam
ingenij fecero crucem; Hem *sic habe*
(scribet multas cruces). Arch. *Sat,*
sat, superq́ Habe *tibi tuas Cruces!*
Sed audi. Piscatum nuper ibant
Mæris atq́ Menalcas pacto de æqua-
li capturæ partitione inito, capiunt
lucium tantum & fundulum, tum
Menalcas optione Mœri permissâ,
utrumvis tolle inquit, Lucium longi-
orem vel fundulum sapidiorem, vel
permitte alterutrum ego eligam:
Mœris sapore illectus funduli dele-
ctumq́ fugiens Menalcæ, lucium
sprevit: quæso, quẽnã istorum cauti-
us mercatum esse putas? Cor. *Li-*
cet ænigma non satis capiam, Me-
nalcam crediderim. Arch. *Satis*

capis. Ita Mœri palati cessit illecebra, ut vix ore senserit, ventriculo certè nihil fundulum! Sed heus! Aliud est quod te volo; Tune is es Corydon qui nuper admodum 500. florenos commodato accepisti à Vicino Palæmone. Cor. *Is ipse sum.* Archit. *Quâ lege, quave conditione?* Cor. *Summæ Capitalis usum in biennium citra fænus largitur, solvi singulis 4. semestribus petit, primo 50. secundo 100. tertio 200. quarto 300. florenos, Vir bonus.* Arch. *Vir bonus? quantocius iginus. tur per orbiculos rectas obliquasq; lineolas vel ipsas cruces, biennalis summæ fænus, computa.* Cor. *Benè mones.* (tentabit necpoterit) Ant. *Ubi tua jam compendia?* Cor. *Hæc quidem altioris sunt indaginis.* Ant. *Hoc est quod ante dixeram, hominum rudissime; Accepisti 500. flor ex pacto redditurus es 650. flor. 150. scilicet flor. supra sortem.* Cor. *Dij mali, scelestum pessimè perduint*

duint scel⁹. Miror tamen me istas fraudū strophas nō potuisse capere, qui fimo onerare currus & stivam tractare unico didici trimestri, caput insuper mihi sit capitatissimum (singultiet) *capacissimum inquam!. Valete.* Ant. *Vale & meli⁹ sape.*

Actus I. Scena II.

Spudæus, Philoponus, Gusmannus Studiosi.

SPudæus. *Ain' tu plures passim dari Arithmeticos bonos, quam Numeratores?* Phil. *Sic est. Sit licet.* ἀριθμὸς *numerus, & scientia numerandi Arithmetica, calculum tamen minutiarum multitudinisq́ in numeris subducere exactè, solus poterit exercitatus probè numerator.* Spud. *Eum igitur vis Numeratorem esse qui apices numerorum & rationarij latera sine errore & calculi lapsu computet & in summas redigat, de quibus nihil amplius dubites.* Phil. *Hoc ipsum*

volo. Quis enī nescit laborem ejusmodi hac in arte esse onerosissimum, errori & lapsui mentis atq́ calculi facilè obnoxium: cætera, licet solerti non careant industriá, tamen per ludum & jocum quasi, perfici ab Arithmeticis. Spud. *Fac periculum, & aliquot Additionis, quæ usum in vita communi habeant, profer exempla.* Gusm. *Ego, ego fecero felicissimè. Parum abfuit, quin nuper admodum posterioribus meis recentia betulæ virgulta immorerentur Analyticis, dum lapsus memoriâ, rationes dati & accepti coram hero non satis promptè expedio.* Spud.

Additio. *Quid illud fuit?* Gusm. *Tres modios Avenæ emi,* 5. *flor.* 15. *gr. Tres lini fasces aulæ tradidi,* 3. *flor. &* 15. *gr. æstimatos: in sacculo hoc non nisi* 6. *residuos retineo florenos.* Spud. *Tum verò herus quid tecum amplius?* Gusm. *Quid? redde, inquit*

ratione expensarũ plagipatida. Tum *arrepto obvio carbone operosè omnia connumero & 15. flor. me accepisse fateor.* Herus *benè inquit, furcifer, jàm malè luisses, si quam commisisses fallaciam. Viden' ut subducta ratione vivere oporteat eum, qui tot stipatus validis incedit comedonibus, quot famulis. I jam & à Mopso commodatò nuper sumptã, repete pecuniam, vinumq́ nupero exhaustum convivio 46. flor. persolve, mihiq́ reliquam 54. fl. refer.* Ego Davus *in talibus non Oedipus; diu multumq́ cogitavi, quantam utraq summam constitueret pecunia, donec peculiari ingenij felicitate 100. flor. conficere intellexi.* Spud. *Vide, mi Gusmanne, ut multa tulit fecitq́ puer, sudavit & alsit; qui negocijs Domini tantâ invigilas solertiâ ut summa cum summis facias Actuarijs, qui addere probè nosti, non minùs*

probè fortaſsis didiciſti ſubtrahe-re. Guſm. *Utrumq; probe, & quod apex rei eſt non meo ſine incommodo.* Ex *proventibus heri nuperofeſto* S. *Joh. accepi* — 5680 *flor. intra* 9. *hebd. expendi* — 5396 *fl.*
reſidui erũt, ſi modo ſũt in ſac. 284. *flor.*

Subtractio.

Spud. *Ut prompte, ut expeditè omnia.* Guſm. *Sic decet. At unica me anxium nonnihil reddit ſollicitudo.* Spud. *Quænã illa?* Guſ. *Pro tritico nuper accepi:* 1464 *flor. pro ſiligine:* 986. *flor. pro lana ovium,* 869. *flor. pro Avena:* 357 *fl. pro hordeo:* 279. *flor. pro legumine vario:* 634. *flor.* Ex *his omnibus in uſus Domini & Domûs expendi* 1610. *flor. nominum in tabernis & macello factorum perſolvi* 380. *flor. Pecuniæ paratæ* (Caſſam vocant) 2950. *flor. reperio. Hinc ſubdubito herus mihi, an hero ego quid amplius debeam.* Sp. *Mi*

ami-

amice: Ante periculum præmonere & in periculo adesse nonne ejusdem est amicitiæ. Gusm. *Ita passim creditur.* Spud. *Ecce! In acceptis habes* 4593 *flor. In expensis* 4940. *fl. Itaq; expensæ* 347. *superant accepta florenis, qui tibi debentur.* Gusm. *Pôl benè, valdè metuebam.*

Spudæus: *Nec frustra habes cur metuas.* Gusmannus. *Quid ita?* Spud. *Qui servis Domini debent, vix non sua debent. In te, quod inscio vel invito clepere vel subtrahere audeas quicquam Domino, non cadit suspicio.* Gusm. *In virum bonum non cadit suspicio, interim, quid agas?*

Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere? quorsum verò in Scholis doceretur Subtractio? valete. Spud. *Isti homini subtrahere, est, ad se trahere.* Multiplicandi *artem uno atq; altero quod usibus serviat* Multiplicatio.

huma

humanis illustra exemplo, Philopone. Phil. *Facilior est numeros augendi ratio, quàm rem faciendi. Interim, ut rem facere videare, dic quot dabunt minutos solidos* 1000 *fl. Polonici, Spudæe.* Spud. *Dum per* 90. *solidos,* 1000. *multiplico florenos* 90000. *prodit solidorum numerus.* Phil. *Papæ! tam cito tam exactè!* Spud. *Tu quoq; fac simile.*

Nuperâ contra Cosaccos expeditione, quatuor Civibus, novem per diribitoria impositi hiposclopetarij alebantur menstruâ pensione 34. *flo. singuli quantum per mensem præstari necesse fuit pecuniæ pro omnibus?* Phil. 306. *fl. Sed ut dixi facilior est numeros quàm rem ipsam multiplicandi ratio, præsertim si Abacum Pythagoræ & Rabdologiã in subsidium sumas, minori & certiore curâ divides & multiplicabis omnia.* Spud. *Prome igitur quam habes Rabdologiam?* Phil. *Sanè. Tu quantamcunque vis in tabu-*

la

la multiplicari debitam, scribe summam: unico obtutu citra prolixam numerationem expedita reddam omnia. Spud. *En summam!* Phil. *Sine summam virgulis exprimam Rabdologicis. Viden' hic ultro oculis paratam objici multiplicationem?* Spud. *Video: O te felicem facilemq; numerandi Magistrum! In Divisione id omne virgularum artificium?* Phil. *Paulò aliud, nec tamen magis laboriosum. Tu dividendum propone numerum & divisorem.* Spu. *Faciam ac lubens. Primarius Urbis nostræ Institor fato fūctꝰ 15660 fl. quinque reliquit liberis dividundos: tu jam quantam singuli sint accepturi cognosce.* Phil. *Attende igitur operationi. Singuli igitur hæredum 3132. fl. accipient.* Spud. Divisio.

Triginta duo milites Poloni invaserunt oppidum Russiæ Jampolam, cæsisq;

cæsisq́; rebellib⁹, prædæ coegerũt 36745. flor. quantum quæso, ad singulos rediijt sive prædæ sive præmij? Phil. *Id statim ex nostris patebit plagulis, viden'ut omnia conveniant & ad singulos redeant 1150. floreni.* Spud. *Lætor me talia ac tanta ex te didicisse hodie: erit, ut paria, si qua in re, nostrâ indigueris operâ.*

ACTVS I. SCENA III.

Emphyteuta. (Arendari⁹) Palæmõ.

I*Niquissimè illi, me Diva Fides! redituum expensarumq́; ineunt calculum avari Euclíones, qui sibi sata, sibi nata volunt omnia. Me complurium per tot annos fundorum Emphyteutam considerantiorem varia facit experientia. Non enim nobis ipsis vivimus & quæ mater omnium tellus producit, in communem usum, certâ lege operis atq́; laborum, tradere creditur mortalium. S. Joh. Baptista præ foribus est, mihi prædij Emphyteusis*

Gurani

Gurani 12000. fl. pecun. Polonorum precio offertur ad triennium, unde per id temporis meos ſuſtentē, laborumq́; debitam conſequar refuſionem; videndū eſt: Manum proinde ad tabulam. Inventarium prædij & anteceſſorum mihi exhibiti contractus, anniverſariam proventuum pollicentur ſeriem:

Tritici	676.	ſexagenas.
Siliginis	1246.	

Ovium	900	numerum.
Fecudum lactimulgarū	56	
Suum	24.	

Inde penduntur

Plebano	Tritici	6.	ſexagenæ
	Siliginis	5.	

Villico una decima

Hortulanis omnibus ſimul itidem una decima, tàm Tritici quàm Sigilinis.

His ex	Tritici	ſuma demptis manēt	536.	ſexagenæ.
	Siliginis		992	

Porrò, Singulæ utriusque frumenti ſexagenæ duos ſuppeditant ex tritura modios. Colligentur igitur pro me,

Tritici	1072	modij.
Siliginis	1982	

Hinc Domus & familia abſumunt annuatim	Tritici	15	modios,
	Siliginis	70	

Opilioni dantur	Tritici	8	modij.
	Siliginis	10	

C

vendi

Vendi igitur poterit residuum

Tritici 1054. } modij singuli { 6. } flor. conficientque { 6324 flor.
Siliginis 1904. } { 4 } { 7616 flor.

Summa 13940 flor.

Oves 900. totidem dabunt flor. 900.

Pecudes lactimulgæ (prout passim conducuntur) 36. numero.

Singulæ 7. florenis } dabunt { 252. } flor.
Vituli; 6 singuli 5 fl. } { 180. }

Horum summa assurget ad 1332. flor.

Officina Polentaria Cerevisiariaque, seu (ut vocant) Braxatorium.

Coctura Cerevisiæ dantur per annum 75.

Singulæ exigunt { Tritici 6. mod. / lupuli 75. mod. / lignorũ orgyã 1. } modij singuli emuntur { 6 flor. / 4 flor. / 5 flor. } facit { Triticum 2700 fl. / lupul. 300 flor. / ligna, 375 flor. }

Summa Impensarum 3375 flor.

MOLA

Aquatica 30. } modios Siliginis pendit.
Alata sc. Ventosa 15 }
hæc 2. illa 4. porcos alit.

Pal. Si sic res habent, non habes, damnum cur metuas. Emph. *Non adeò! Oculus tamen Domini impinguet equum oportet.* Pal. *Ad pias causas & CHRISTVM Exulem quantum redit tuis ex reditibus.* Emph. *Non curo tubâ cani dum manum pauperi aperio, nec advenam sine vitæ qualiqualí dimitto subsidiolo.* Pal. *Hoc fac, & benedictus in agro, domi forisq́; futurus es.*

Actus

Actus I. Scena IV.

Pythagoras. Theon. Thales. Marchã.

MAr. *Ex India nuper merces advenæ, metum injiciunt caritatis non exiguum; deliberatò proinde & maturè agier oportet quàm bonus lucri odor veniat ex re qualibet.* 12. *lib. piperis, jam emuntur* 4. *aureis, quot dabuntur* 20. *aureis? Sed manũ ad tabulã. Prodeunt lib.*60. *Si* 15. *lib. pip.* 8 *aur. vẽdidero quid poterit sperari lucri? Sed hoc ad* il ragione del Stado de gli mercanti *pertinet, quocirca nemini aperiendum. Ager ille fertili segete luxurians Palæmoni venalis, est, ut audio, passuum quadratorum* 400. *qvanti constabit proximus illi passuũ quadratorum* 1000? *Si rectè, rationẽ ineo,* 250. *aureis veniet. Quid vero isti Philosophi? sublime certè, ut solent. Subaudiam.* Theon. Regula de Tri.

Scin', Pythagora, *Principem à Republica 20. Milliones in singulos petere annos Imperialiũ.* Pyth. *At quot in usus?* Theon. *Antiqua causatur debita & fœnoris in dies per anatocismos augeri incremẽta fert molestissimè.* Pyth. *Onus Civibus triste, Regno insuetum imò intolerabile.* Th. *Quid si citra onus omne & insensibili Civium fiat cum damno?* Pyth. *Perit procari, si latet, ajebat ille?* Th. *Si ad oculum rem demonstravero?* Pyth. *Vovere liceat, si non potiri.* Th. *Difficillimum hominem! At te proxeneta negocium opus est perfici.* Pyth. *Alterutrum vis sive cum larvis lucter, sive mulgeam hircos.* Th. *Non hoc volo. Provincias Principis & in illis singulos pagos computa cum oppidis.* Pyth. Th. *Quid tum postea?* Th. *Quid? enumerata mẽ, nec te iste fatiget labor.* Pyth. *Quatuor Provincias Princeps possidet meus.* Eleusiam *post diutina bella vix 30. amplius millia.* Bœotiam *totidem.*

Ma-

Mamartiam 15000. Asturciam, 10000 *pagorum numerantem. Vrbibus & Oppidis hunc in numerum non venientibus.* Th. *Numer⁹ post tot clades & calamitates sanè non exiguus. Vnicum est quod te volo; sed sanctam prius, per Iovem lapidem, silentij jura fidem.* Pyth. *Servat tacenda non juratus Vir bonus.* Th. *Talem te novi hactenus: & tibi arcanum soli aperio Reipublicæ?* Pyth. *Quodnam illud?* Th. *Dic sodes, quanam maximè Cives tui tillantur voluptatulâ!* Pyth. *Cuticulam curant, & sitim ferre impotentes, largissimis gulam & abdomina vini zythiq; proluunt haustibus.* Pyth. *Credam id, an secus?* Pyth. *Crede firmiter idem hominibus nostris esse, bibere, quod vivere; & contra.* Th. *Ha! ha! he! In promptu erit consilium. Si Princeps singulis sinceræ tonnis tributi nomine unum superimponat florenum, quid accessurum putas commodi Fisco laboranti.* Pyth. *Non*

dum

dũ quid velis assequor? Th. *Jã fac singulos pagos in diem vas evacuare unicum. Et ni fiat urbes, oppida, aulas deniq; nobilium sume pagorum in subsidium, ne quid præterfluat. Edocebere intra unius anni decursum Triginta & unum milliones & deniq; 25000. fl. nulla difficultate, maximo cum prolubio haurientium, citra onus & fastidium colligi posse incolarum.* Pyth. *Hem, Sybillæ folia! nunquam quicquam vel per febrim somniavi simile.* Th. *At nostri jam pridem odorati sunt Politici. Vin' & similium quid amplius?* Pyth. *Audiam sanè!* Th. *Quid non nummorũ confecturum putas Principes si Italum illud osculorum, in commune tantùm conferat, lenocinium, quantum Germana bibacitas?* Pyth. *Cræsi Crassiq; divitias!* Th. *Jam tandem vides, quod non vidisti hactenus.* Pyth. *Video. Tu Proxenetam age apud Principem, arcana aperi, & in partem boni asseri pete consilij, quò minùs*

tui

tui ipsius videare fuisse parum vel nihil memor. Sed audi, est quod te ampliùs volo. Ostenda in parvam redacta Trojam, præsidium 8500. capitum numerat; victum verò ad 11. menses vix sufficturum metuit; spes interim solvendæ obsidionis nulla, nulla auxiliarium nisi intra 25. mensium decursum. Quot armatos retinendos esse putas, quib. per tot menses justa non desit alimentatio? Th. *Jam videro.* 3740. *retinendi erunt præsidiarij. Quid vero istud ad latus nostrum hominis?* Pyth. *Mercatorem videre mihi videor Amsterodamensem; tu cum homine age Thales.* Th. *Ego philosophari, tu lucra petere putareq́ bonus, nonne unus illorum es qui nuperis Gedani nundinis* 6000. *fl. fecere compendium.* Marsch. *Illorum unus, quidtum?* Thal. *Amicè te conventum volo, citra stomachum, quãtũ in cõmune contulistis, quæso?* Marsch. *Primus* 60. *fl. alter* 100. *fl.* 120. *fl. tertius*

quar-

quantus verò 200. fl in unum corrasimus. Thal. *Quantum verò sortis cuivis ex lucro accrevit sorti.* Marsch.

60	floreni ascenderunt ad	750	florenos.
100		1250	
120		1500	
200		2500	

Thal. *Hoc scil. est rem facere. Si sic perrexeritis nõ est quod sacculũ pertusum metuatis.* Marsch. *Facile credo, si Fors velit.*

Alligationis *Est verò quod & ego te velim, Philosophe, ut pote rei nummariæ apprimè peritum? Massa mihi conficienda pro re Monetaria 300. librarum argenti. Geminum præsto est argentum, prioris libra 30. flor. 20 fl. posterioris æstimatur. Miscendum utrumq; in unum, quò unius lib. 24. flor sit æstimium. Quantum igitur ex utroq;, putas sumendum, ut 300. libr. exactè ponderet.* Thal. *Prioris* 120. *lib.* 180. *posterioris sume, & rem*

con-

confeceris. March. *Est & aliud,* Falsi.
quod te in interrogem? Viden' turgidum istud marsupium? Thal. *Video?* March. *Tuum erit argentum intus, si dixeris quantum!* Thal. *Da aliquod principium, licet implicatissimum.* March. *Si adhuc semel tantum haberem & accederet* $\frac{1}{2}$ *& una tertia, item una quarta & unus flor. haberem 122. flor.* Thal. *Sine computem singula.* 36. *fl. habes. Imò ego, nec tu amplius. Da quod debes!* Marsch. *Jocus fuit, Domine, dum talia quæro: serij nihil.* Thal. *Sed ego joco-serium faciam, ne Viros glebam terræ sive niveam sive rubentem ex alto despicientes, temerè post hac lacessas? Jam vel par pari refer, vel da quod debes? Si annis meis adderetur dimidium ipsorum & ex summa detraheretur* $\frac{1}{4}$ *ipsius, haberem annos* 99. *Quot igitur an-*

norum

norum me esse putas? Marsch. *Si rem benè puto 88. annórum es, venerande Senex?* Thal. *Aquila non captat muscas. Habe tua tibi pecuniarum mancipium?*

Actus I. Scena V.

Theon. Apollonius, Pergæus, Archimedes, Gusmannus.

AP. *Progressionis cum Arithmeticæ tum* Geometricæ; *nec non Extractionis Radicis Cubitæ Quadratæve nondum meminimus, Theon?* Th. *Sic est. Sed nec subtilissimæ nobilissimæq; omnium numerabilium numerandi rationis, quæ vulgò* Algebra s. Regula *audit* Cost ea. Ap. *Da igitur unum alterumve* Progressionis *exemplum!* Th. Augias *de numero boum, quos possidebat, percontanti, respondit,* Herculi. *Boves meos in bubilia disposui quadraginta,*

Progressio.

hac

hac serie, ut quoties locus primus tres numerat boves, toties secundus 5. tertius toties 7. quartus toties novem numeret, & sic consequenter. Hercules, *primo in loco* 30. *referit boves, quot igitur boum Dominus fuit* Augias, *quotve ultimo loco numerabuntur boves?* Ap. *Vltimo* 810. *constitêre boves. Omnium per* 40. *stabula* 16800. *numerus fuit bovium. Tu Castrense istud nobis enuclea* Pergæe. Arsidas *Archistrategus Siculus in expugnatione arcis Sardiæ pecuniã in direptione inventã hac distribui inter* 20. *Capitaneos voluit lege, ut Cēturioni qui prim⁹ assultu murũ superaverat hostilē* 100. *penultimo* 130 *antepenultimo* 160. *numerarentur aurei. Et sic deinceps servaretur progressio per reliquos. Quæritur, quantum pecuniæ conquisitum? quantumve primus acceperit, Centu-*

turio? Perg. *Primus*. 670. *accepit aureos, ex summa quæ* 7700. *aureos in unum conficiebat cōgesta. Sic ego.*

Algebra. *Sic tu. Præstantiss. Archimedes* Algebræ *specimen ede tuæ.* Arch. *Si sic placet, cur nō? Hoc interea prolegomeni instar habe, me quidem vulgaribus uti Arabicis characteribus, sed non solis. Asseclas igitur illis aliosq́* Denominantes *addo,* Characteres, (*quos appello*) Cossicos *quorum est ingens in laboriosa illa proportionali multiplicatione compendium.* Ap. *Videamus illos.* Arch.

N. Primus character erit, *N. numero alicui additus numerum absolutū notat : sic.* 4. N. *non nisi* 4. *valent. Itidem, si numerus quispiam omni destituatur signo,* Absolutum *significat.* Arch. II. *est* R *Radix. Italis*

R Cosa. Gusm. *Cosa, questo niēte, Sign. mio,* Arch. III. ʒ *Zensus s. Quadra-*

ʒ

dratus ut, Si radix ſit 2. ejus Quadratus ſ. Zenſus valebit 4. IV. Cub⁹. i.e. Zenſus in Radicem multiplicatus. Guſm. En hominem ſine ſenſu quinto, Octavum Sapientum Græciæ! Arch. V. ʒʒ Zenſiſenſus, id eſt, Quadratiquadratus vel Cubus per Radicē multiplicatus. Guſm. Iterū ſine ſenſu, ut cū Gaſcones ſunt officioſiſſimi, ſenſa ceremonia Arch: VI. ß Surſolidus, id eſt, Zenſiſens⁹ in Radicem multiplicatus. VII. ʒCc Zenſicubus ſ. Quadratus Cubi. VIII. Bß. Bſurſolidus. IX. ʒʒʒ Zenſizenſenſus ſ. Quadratus quadrati quadrati. Guſm. Guardati, guardati, jam iſte ſerpentes adjurabit vel Furias infernales. Arch. X. CCc Cubicubus. XI. ʒß Zenſurdeſolidus ſ. Quadratus ſurde-ſolidi. XII. Cß. Cſurde ſolidus vel Terſurdeſolidus. Eodem modo proportione quadam reliqua ſigna ſ. characteres Coſſici explicari

C
ʒʒ
ʒʒ
ß
ʒCc
Bß
ʒʒʒ
CCc
ʒß
Cß

poterunt in infinitum. Gusm *Cubus iste cubicubus, nocturnus Incubus, surdè solidus, ter absurdè est stolidus, imò in infinitum!* Arch. *Hem Gusmanne, quò te fata, Ornat. D. Magister Gusmane?* Gusm. *In Cur-sur. Pur-ter-ser-sol-pol-stolidlandiam!* Arch. *Vbi-nã terrarũ id regionis reperire est?* Gusm. *In Concavo Lunæ, unde venisse diceris?* Arch. *Egone?* Gusm. *Non alius. Admirabilis magis sermone Lunatico quàm intelligibilis! Serpentes mihi visus es conjurasse, & Cerastes & Behemoth & Menethekel & Rutubam & Coronas, & 15. Hierosolymas* Arch: *quàm sublimis es scientiâ.* Gusm: *Tu fortassis Naometra ille, per cruces, per armillas, per angulos per soles, per Lunas, per circulos, per angelos volantes, per columnas, per libram, per arbores, per gladios per laqueos, per dentes, per cometas, per ova, per pisces, per clibanos, per mitras, per cuspides, per 7. foramina, per la-*

genus per Aquilas & Leones computare omnia gnarus, & ipsum diem novissimum. Arch: *Nihil horum.* Algebram *doceo viam numerandi compendiosissimam.* Gusm. *Algebis tu cum tua Algebra sub ardentissimo etiam Syrio, homines nostri nec curant talia, nec nosse laborant.* Arch. *Tu verò attende, qui Vir es de omni scibili. Pro numero incognito in Quæstione ponatur radix una, hoc modo* 1. R. (*Possunt etiam interdum plures poni radices h m.* 2. *R.* 3. *R. &c. vel alius quidam numerus, pro commoditate quæstionis propositæ*) Gusm. *Ne turba pluribus vel numeris vel quæstionibus turbidum jam pridem primâ radice caput.* Arch: *Radix illa juxta quæstionis tenorem examinetur donec Æquatio aliqua inveniatur. Hæc reducatur si opus fuerit: deinde per numerum characteris Cossici majoris dividatur reliquus Æquationis numerus. Nam vel* Quotiens *ipse erit numerus,*

qui

qui quærebatur, precium scil. radicis in principio positæ, vel certè radix *aliqua* Quotientis *numeri, numerum qui quærebatur, notum reddet. Pulchrè a.* Divisor *suo Charactere Cossico demonstrabit, quando radix ex Quotiente & quænam sit extrahenda. Habes Gusmanne, multa paucis; & tu Pergæe, quæ nuper quæsivisti?* Perg: *Video multa hic Præcognita requiri, antequam Regulâ ipsa uti liceat?* Arch: *Hem iterum paucis multa. Cognitis characteribus eorumque valore, discenda veniũt: Numeri ficti s. minus quàm Nihil. Reductio; Æquatio; Algebraica divisio; Radicum Extractio; Radices simplices; Radices secundæ; Numeri Irrationales s. surdi. Tum etiam Binomij Apotomi & si quid horum amplius.* Perg: *Profer aliquod* Algebraicum Ænigma, *quod consuetâ numerandi ratione nec solvi prorsus, vel certè ægrè possit?* Arch: *Dari infinita possunt* E.G.

Datum

Datum numerum in duas secare partes, ut pars prior in quemvis ducta numerum, faciat numerum in data proportione ad numerum factum ex parte posteriori in quemvis numerum multiplicata. Ut: Sit numerus 40. secand⁹ in duas partes, ut ex priore in 10 fiat numerus in proportione, subdupla ad numerum factum ex parte posteriore 30. Gusm: *Me miserum! cæcus versor inter colores, totum jam caput vertigine circumagitur.* Perg: *Familiarem magis & cognosci facilem propone quæstionem.* Arch: *Fiet*

Mulus portabat vinum comitatus Asella,
Hæc oneris quæritur pondera vasta sui.
Ille graves Matris gemitus miratur, & inquit;
Cur adeò lachrymis lumina mæsta fluunt?
Mollities teneras, Mater, decet illa puellas;
Quas premit insvetus, debilitatque labor.
Unam mensuram, si nostros fundis in utres,
Ipse tui Vini pondera dupla feram.
Sin' unam contra nostro de fasce levabis
Partem, tunc æquum pondus uterque feret.

Dic mihi menſuras, ô docte Geometer iſtas,
Non aliter Phœbi nomine dignus eris.

Guſm:

O Vinum, Vinum! quam me facis ingenioſum!
Gusmannus Phœbi nomine dignus erit:

Quæſtionem, tanti à Philoſophis habitã, ego populari planam faciam induſtria! Sepiduum tamen oculari vix ſuffecerit demonſtrationi: Idque ex hac hypotheſi.

Summe craterem ſi qui potabitis æquum
Faucibus, & verſate priùs, quid ferre recuſet
Quid valeat ſtomachus! Hinc ſic infero.

Qui juxta exploratam ſtomachi menſurã per ſex dies quantum Aſinus cum mulo ferre poteſt, Vini exhaurit, is ſolvit quæſtionem. Atqui Ego Guſmannus juxta exploratam &c. Ergò. Conſequens apparet; quia

Res ubi rem loquitur Tullius ipſe tacet.

Aut ſi rem explanari mavultis accuratiùs: In jentaculo & prandio unam exſiccabo menſuram; in merenda & Cœna alteram: Hæc Præſuppoſitio eſt omni probabi-

babilitate probabilior. Sic sextus dies duodecimam numerabit mensuram; septimus viderit, num


More Palatino biberim, num gutta supersit,
Vnde suam possit musca levare sitim:

Arch: *Exactè numeras 7. enim Mulus, Asina 5. ferebat mensuras.* Gusm: *Hinc mirare ingenium, ut facili calculo 5. & 7. facere 12. animadverti.* Arch: *Vnicum vide, ne genium defraudes, dum vinum & Asinam & mulum & famulum in atomis quæris Democriti vel Idæis Platonicis. Interim Vale.* Cusm: *Valete.*

Actus II. Scena I. Geometria.


Euclides, Orontius.

OR. *Vnde nobis, Geometrarum Pater, cum ista sectilium supellectili machinâ?* Eucl. *Europam perreptavi Operasq; recentium inspexi Terrimensorum.* Or. *Quid illi? satin' ad nutum tuum?* Eucl. *Antiquum sapiunt; licet no-*

vitatibus superbiant. Or. *Quid ita?* Eucl. *Idem, quod nos olim, agunt.* Geometria *enim (ipsis) rerum magnitudines explorat præcisè; nè nos aliquid (apparendo majus aut minus, propius aut remotius, altius aut humilius, quàm est) decipere possit: quod potissimùm ad mensurandas rerum longinquitates & capacitates conducit.* Or. *Verùm mensiones quomodo peragit suas* Geometria? Eucl. *Peragit mensiones suas per* Puncta, Lineas, Figuras, & Instrumenta *certa, quibus ista emetitur: quæ percipe theoreticè & practicè.* Or. Linea *unde incipit & ubi desinit?* Eucl. Linea, *incipit à puncto & desinit in punctum: estq;* in scipsa *vel* recta, *ut* ----; *vel* curva, *ut* ; spiralis, *ut* ; *alteri v. lineæ vel* parallela *ut* ; *vel* obliqua, *ut* : *vel* perpendicularis, *ut* .
Or. Ex *linearum concursu quid fit?* Eucl. Ex *Linearū concursu fit* Augulus. Or.


Quo-

Quotuplex est Angulus? Eucl. Angulus *est vel* Rectus, *quem efficit linea incidens perpendicularis, ut est in subjecto Schemate angulus ACB; vel* acutus, *recto minor, ut BCD; vel* obtusus, *recto major, ut ACD.*



Or. Figuræ *simplices, quænam sunt?* Eucl. *Figura simplicissima est* circularis, *tùm* triangularis, *inde* quadrangularis &c.

Or. Circulus *unde fit?* Eucl. Circulus *fit ex unica ambiente linea, quam vocant* Circumferentiam *(ut hîc, BDCH): medium ejus punctum*, Centrum *(A): lineneam à centro ad circumferentiam*, Radium *(AH, vel AC): hunc a. ad oppositam partem protensum, & circulum æqualiter dissecantem*, Diametrũ[*BAC*].



Or. Triangulum *unde fit?* Eucl. *Triangulum fit è tribus lineis: estq; vel* Acutangulum, *cujus omnes tres anguli acuti,* [*ut;* △ *vel* Rectangulum, *cujus unus rectus,* [*ut* ◺]; *uel* Obtusangulum, *cujus nnus obtusus,* (*ut* △).
Or. Quadrangulum *quale est?* Eucl. Quadrangulum *est quadrilaterũ: id a. vel* quadratum, □, *vel* oblongum, ▭; *vel* rhombus, ◇. Or. *Figuras corporum regulares quâ ratione internoscã?* Eucl. Figuras *regulares Corporum sic accipe:* Orbis *est gyratus;* Globus *rotundus;* Cylindrus *teres;* Pepo *ovalis;* Pomum *orbiculatum;* Pyrum, & *quidvis conicum, turbinatum;* Cubus *quadratus,* (*licet sexlaterus,* & *octangu-*

lus

lus); Tribulus *triquetrus*. Or. Mensuræ v. distantiarũ *quomodo se habent*? Eucl. Mensuræ *distantiarum ita sunt*: Grana papaverea *quatuor faciunt* hordeaceum *unum*; *hordeacea totidem* Digitum transversum; *Digitus cum triente* ($1\frac{1}{3}$) Pollicem: *quatuor digiti*, Palmum; *hi tres*, Spithamam; *quatuor*, Pedem; *quinque*, Palmipedem; *sex* Vlnam (*cubitum, sesquipedem*): *Pedes duo cum semisse faciunt* Gradum, *seu* Gressũ (*h.e.* Passum minorem): *quinque*, Passum majorẽ (*Geometricum*), *qui idem est cum* Orgyia: *pedes decem dant* Perticam (Decempedam); *passus Geometrici centum viginti quinque, dant* Stadium; *octo Stadia* [*h. e. mille Passus*] Milliare Italicum; *hæc a. quatuor*, Milliare Germanicum; *sesqui milliare Italicum*, Leucam Gallicam. Or. Mensuræ capacitatis *quænam erant apud Veteres*? Eucl. Mensuræ capacitatis

apud

apud Romanos sic erant: pro liquidis, *quatuor* Cochlearia (*seu ligulæ*) *faciunt* Cyathum; *horum tres,* Quartarium; *isti duo,* Heminam; *harum duæ,* Sextarium; *hi sex,* Congium; *congij quatuor,* Vrnam, *quantum vir ferre potest; urnæ duæ* Amphoram, (*seu* Quadrantal), *quantùm duo commodè bajulant: Amphoræ viginti* Culeum, *quantum plaustro vehi solet.* Or. Mensuræ aridorū *quæ olim fuère?* Eucl. Aridorum mensura *minima fuit* Cyathus: *horum sex erant* Hemina; *heminæ duæ,* Sextarius; *sextarij duo,* Modiolus; *hi quatuor,* Modius; *modij duodecim.* Medimnus. (*Sed arida herbacea* manipulis, pugilisque *metiuntur*) Or. *Lineæ rectitudinem & curvitatem quomodo explorant Geometræ?* Eucl. *Lineæ rectitudinem, aut curvitatem, explorant extensâ* Amussi, *vel applicatâ inflexibili* Regulâ; *Auguli rectitudinem* Normâ; *situm horizontalis pla-*

ni

ni Libellâ; *erecti a. plani* Perpendiculo: *Circuli exactionem* Circino: *Vasis capacitatem* Perticâ cylindraceâ, *cui numeri stereometrici inscripti sunt*. *Quinam verò isti novo instrumentorum conspicui artificio?* Or. *Geodesiæ vel certè Optices Canditatos vides.* Eucl. *Hic mecum, quæso, conside, & num quid arte dignũ afferant? subaudi.*

Actus II. Scena II.

Zenodorus, Architas, Hypsicles.

Zen. *Theoriam Geometriæ ex Euclide nuper didicimus. Praxin ipsam omnium quæ beneficio artis istius accuratiũs & supra vulgarem modum, mensurari possunt, ex te discere lubet, doctiss. Archita, si licet.* Arch. *Facilis ego semper in dociles. Tu rem sic habe. Tria sunt aptè mensurari nata:* Longitudo, Superficies & Corpus Solidum. *Hinc*, tres Geometriæ Practicæ partes, *disce*. *Pri-*

Prima est Longimetria *omnium exploratrix distantiarum, sive* in Plano *remotiùs à nobis spectentur; sive* in Alto; *ut, montium, turriumq́ cacumina; sive* in Profundo; *puteis, (putà) vallibus, &c.* IIa. Planimetria, *Superficies Agrorum, (intellige) Pratorum, Piscinarum, Lacuum &c. aream adinvenire magistra.* III. *Stereometria s. Solidimetria, soliditatem corporum, putà, Globorum, Cuborũ, hexaedrorum oblongorum, Rhomborum, Rhomboidum, Trapeziorum, Pyramidum Cylindrorum, omnium Polyedrorum & doliorum examussim investigare perita.* Zen. Longimetria *quorumnam adminiculo Instrumentorum, & quomodo exercetur?* Arch. *Distantias metimur Opticè per lineas visivas, ope* Quadrati *(si Circulus integer in 360 partes æquales divisus, antiquis* dorsum Astrolabij, *nobis* Astrolabium *dictus, & Artifici, Tabularum Sinuum Tangentium & Se-*

& Secantium, desit intelligentia) dum ex duabus Stationibus per pinnulas radij versabilis, rem longè dissitam prospectando, ex quantitate Trianguli, quod in nostro effici videmus instrumento, colligimus quantitatem linearum Trianguli majoris, quod inter duas stationes & rem visam efficitur. Hoc *modo cujusvis fluvij, Piscinæ, Stagni &c. latitudo s. distantia ad ripam usque ulteriorem vel oppositam cognosci potest.* Zen. *In arctiori nunc consistimus loco, quàm ut eximiũ aliquod hujus artis capere liceat experimentum. Fac interim, quod fieri potest. Aream Acroaterij nostri finge esse amplitudinem Vistulæ ad Torunium intra alveum suum decurrentis, quove pacto cognosci possit, ostende. Applica Instrumentum.* Arch. *Applico. Hic primã signo stationem. Illam vicissim Virgulam, tanquam arborem, in ulteriori fluminis ripa sitam, noto. Jam, Quadratum*

tor-

torqueo, donec, per hæc pinnacidia, objectũ notatum conspexero. Ecce, jam conspicio. Nunc, Quadrato immoto, Radium versoriũ ad angulum Rectum colloco, atq; per ejus pinnulas, stationem alteram, pro lubitu, deligo, ut. E. G. ubi pertica à puero in solum stat defixa. Porrò locum stationis primæ hac pertica connoto: meq; ad alteram confero. Iterum, per eandem lineam, per quam alteram stationem ex prima vidi, primam ut ex hac secunda videam, faxo. (dirigatur Instrumentum versus stationem primam) Ecce habeo. Jam, Quadrato immoto, per Regulæ volubilis dioptras, objectum, in ulteriori ripa notatum, inquiro. Habeo. Videndum igitur, quem in Limbo Quadrati numerũ adscriptum, rogula secet. Ecce, indicat (66) Adhuc cognoscenda est per funiculũ in ulnas aut pedes dimensum distantia primæ stationis à secunda. (Extendatur funiculus.) Octo distat pedibus. Tandem,

ut

ut operatio perficiatur, amplitudinem fluminis, quanta à primæ stationis puncto ad arborem ultra fluvium notatam protenditur, per Regulam Proportionum sic elicio. Numerus in Limbo 66. dat Radiũ integrum 100. partes continentem, quot dabunt 8. pedes. Proveniunt 15. pedes. Zen. *Sic est, ratio ipsa indicat, quod Parellela ad latus Trianguli ducta, secet Triangulum proportionaliter. Concludo igitur, eodem modo habere se altitudinum mensurationem & profunditatum; nempe, per Triangulum quocunque modo ab Artifice conceptum.* Arch. *Sic est.* Zen. *Tu Hypsiles, quam ex Euclide Planimetriæ Praxin & usum didicisti, edissere.* Hyp. in Planimetria I. *Sciendum, quid nomine Mensuræ intelligatur? nempe, Magnitudo longa & lata. E. G. Si Superficiei Area sedecim pedes ampla detur: Intelligendi sunt pedes quadrati h. e. 16. spacia, quorum unumquodque longitudinem*

nem latitudinemq́ unius habeat pedis, ut: □. *Et sic Planimetricè accipitur est pes. Mensurarum aonarum eadem est ratio.* Il. *Considera jam venit Superficei metiendæ figura. Quæ si est* Quadrangulū Rectangulum, *tum per funiculum duorum laterum contiguorum cognosco quantitatem. Ex his, in se ductis, proveniens numerus, aream superficei ostendit* Zen. *Poteritne id in hoc demonstrari Acroaterio?* Hyp. *Imò optimè. Heus puer! hic consiste & extremum funiculi tene firmiter, quem ego usq́ ad oppositum parietem lateribus tamen Paladij nostri parallelè extendam.* (extendat funiculū) *Atq́ tanta est longitudo. Jam isthuc concede, ut eodem Latitudinem exploremus modo.* Ductis igitur *( )in ( )prodeunt ( ) pedes quadrati. Pari ratione, quot pavimento sternendo lateres, quot domûs parando requirantur scandulæ, deprehendes.* Zen. *Annon eadem*

est

est aliarum figurarum dimensio? Hyp. *Paulò aliter, quod paucis habe.* Trianguli *basis multiplicatur in ejus perpendicularem altitudinem: dimidium producti, dat aream quæsitam.* Trapezij rectanguli area, *hoc modo cognoscitur: Adde duo latera opposita ac invicem parallela; summæ dimidium in latus tertium perpendiculare multiplica: productum multiplicationis, dabit aream Trapezii.* Quadrangulum *v.* obliquangulum *necesse ut primo in duo Triangula resolvatur. Tum utriusq; dimensio juxta jam præscriptam fiat regulam. Et productus addatur: additus numerus aream Trianguli ostendet.* Rhombi *&* Romboidis *expeditior est mensura. Ducatur per Rhombum Diagonalis & erunt duo Triangula; eadem Diagonalis per altitudinem perpendicularem unius Triauguli multiplicati, producet aream totius Rhombi vel Rhomboidis.* Zen. *At,* Polygonorum area,

quo-

quomodo invenitur? Hyp. Polygonorũ ſ. Figurarum regularium area, *ſic invenitur. Dimidium peripheriæ in rectam, quæ à Centro figuræ in medium punctum unius lateris protrahitur, multiplicetur. Factus multiplicationis dabit aream figuræ ordinatè propoſitæ:* Arearũ Multangulorum Irregularium menſuratio *eſt operoſior:* Vel *n. neceſſe eſt multangulum iſtud in triangula reſolvi & ſingulorum Triangulorum peculiariter area cognoſcenda: Et tum ſumma omnium oſtendet Multanguli Irregularis aream:* Vel, *aliqua regularis figura in Irregulari faciẽda & ex modo præſcripto metiẽda. Reliqui extra regularem figuram anguli ſuperſunt, menſurandi peculiariter. Quorum ſumma figuræ regulari addita, dabit quæſitum.* Zen. Menſura Circuli *quomodo abſolvitur?* Hyp. Mẽſura Circuli *ſic abſolvitur. Datá Circuli diametro, peripheria ejus inquirenda eſt, per regu-*

gulam Proportionis. 7. dant 22. quot dabit Diameter data? Vel; Diameter 113. dat, Circumferentiam 355. quantam dabit tua Diameter data? Sic cognitâ peripheriâ ejus semissis ducatur in semissem Diametri & constabit area Circuli. Zen. *Sufficiant hæc de Planimeria. Tu præstantissime Procle,* Stereometriam *profitere.* Proc. *Benè monuit, Hypsicles, quomodo mensura sumatur Planimetricè; idem mihi, prolegomeni instar, faciendum quoq; in* Stereometria*: nempe, Mensuram intelligi quatenus tanquàm corp⁹ cōcipitur.* E.G. *Si dicam corpus quodpiā decem continere pedes, intelligendi sunt pedes Cubicè sumpti. Talia, quippe, corpora, quorum singulorum longitudo uno pede, latitudo uno pede, altitudo s. profunditas etiam uno pede constat. Jam ad praxin.* Pyramidum & Conorum *eadem est mensura: Videl. Primò, cognoscenda est, Basis Corporis objecti, Area*


Posteà ista cognita area, in tertiam altitudinis, (Pyramidis vel Coni,) partem multiplicanda. Productus dabit soliditatem quæsitam. Prismata, Cubi, Polyedra, Cylindri, *ita mensurentur. Basis eorum ducatur in altitudinem totam. Productus dabit quantitatem desideratam.* Vasorum, *ad figuram Cylindri propè accedentium, fit per æquationem Basium & mediæ dolij profunditatis mensuratio. Habitâ æquatione, ex diametro juxta supra posita præcepta, aream basis cognosco. Post aream in longitudinem vasis multiplico. Productus Vasis capacitatem ostendet.* Zen. *Nihilne amplius?* Proc. *Globi s. Sphæræ soliditatem explorans Stereometria superest, quam, si quis requisiverit, publicè privatimq́; dabo. Nunc hæc sufficiant.* Zen. *Sufficiant sanè.*

Actus

Pappus, Archimedes.


PAp. *Paullò prolixiùs egêre Geometræ; tu quemadmodum potes, brevem* Staticæ *tuæ da nobis Isagogen, Archimedes.* Arch. *Quid opus multis?* Staticus *ex perpensa rerum gravitate, earundem intùs soliditatem, & dehinc pretiositatē, probat, vi* Librarum & Ponderum. Pap. *Libra igitur & Pondera, Staticæ erunt principium?* Arch. *Nequaquam.* Artis Staticæ principium *est Circulus circa suum centrum volubilis. Et quoniam motus Circularis omnium est expeditissimus, minimùmq; virium indigus externarum; idcircò, ad pondera non duntaxat examinanda, sed etiam vi modicâ, quò lubet promovenda, varias artifices excogitârunt machinas, omnes tamen motûs Circularis agnoscentes beneficium.* Pap. *Da, quæso, istarum præcipuas machinarum, & usum pariter explica.*

Arch. *Nobilissimæ sunt;* Libra *vulgò sic dicta,* Tympanum, Trochlea, Cochlea, Ergata, Succula, Vectis, *quib. adde* Cuneum. *Hinc dum* Vectiarius *sustolendæ rei* Vectem *subcuneans, illi incumbit; aut* Succulam *suppingens, versat; aut ductarios funes, orbiculis* Trochleæ *interplicatos, protrahit; aut* Ergatam *Vectibus circumversat; aut* Tympano *inambulans* Geranium *rotat, mira præstantur.* Pap. *Non dubito. Libræ v. quot sunt partes?* Arch. Libræ partes *sunt:* Librile *seu* scapus & Iugum (*quod diametrum Circuli repræsentat & motus ejus Circulum describit*) *A. B. C. tum in Centro librilis* Axiculus, *super quem fit libratio: B &* Ansa, *à qua jugum pendet, D; & ansæ apertura,* Agina, *quâ* Examē *h. e. lingula scapo infixa) transit.* Pap. *Video ista. Libræ a. & pensuræ quotuplex est ratio?* Arch. *Libræ & pensuræ, ratio est duplex: primam vide in*



in Bilance, *habente centrum in jugi mĕdio: unde necessariò sequitur, ut imposito lanci utriq; pondere æquilibri, æqualiter ponderent; secus præponderet gravi9, deorsumq; vergat; Levius verò se attollat, tantô magis, quanto alterum prægravat.* Pap. *Maxima minimaq; Bilances quomodo audiunt?* Arch. *Bilancem maximam vocant* Trutinam *minimam, ad superinjectum momentum mobilem, quá nummi pensiculantur,* Langulam. Pap. *Hæc prima Libræ forma est?* Arch. *Alteram Libræ formam spectabis in* Statera, *librationis centrum extra scapi medium habente: cujus consequens est,*

ut inter librandum radius protensior, (A. C) majores faciat ascensiones & descensiones, quàm radius minor, AB: eoque ponderum ad invicem commensus idem sit qui arcuum. Pap. Usus Libræ utriusq́; qualis est? Arch. Hunc sic habe: Libripens impositâ re librandâ alteri, gravat alteram ponderibus, donec ad æquilibrium (seu æquipondium, quod examen aginam æquans ostendet) veniatur: in Statera v. suspendit rem delibrandam ab uncino, in B; pondusculumq́; in radio opposito, incisuris dimenso, huc illuc promovet, ad æquilibritatē usq́; illud n. centro admotum minus, amotum inde plus,



ponderat. Pap. *Danturne pondera Librâ ipsa minutiora?* Arch. *Dantur: Ponduſculum leviſſimum, Libellæ dans momentum, vocant* Granum; *grana quatuor faciunt* Siliquam; *hæ quinque,* Scrupulum; *ſcrupula tria,* Drachmam; *drachmæ quatuor* Semunciam; *octo,* Vnciam; *unciæ duodecim,* Libram: (*mercalis tamen libra eſt ſedecim Vnciarum*) *centum libræ,* Centumpondium (*ſeu* Centenarium.) Pap. *Sic habet libra. Quid igitur eſt* Tympanum? Arch. Tympanum *eſt ingens rota, lata, quæ ab intus calcantibus circumagitur hominibus, axis v. fune obvolutus vaſta in altum effert onera.* Pap. Trochlea *quid eſt?* Arch. *Eſt rotula ſtriata ſ. machina cum æreo ligneove orbiculo, qui circum axem verſatur. Per cujus orbiculos* funis *traijcitur, qui* Ductarius *dicitur.* Trochlea polyſpaſtos *vocatur, in qua plures Orbiculi ſtriati verſantur.* Pap.

Cochleam *quid vocas*? Arch. Cochleam *voco machinam spiratim striatam, quâ* præla *duo rem violentissimè pressare adiguntur, à* Torculari *circa cochleam versabili viâ retorto. Eadem machina oneribus gravissimis, imò ædificijs subjecta, ea attollit.* Pap. *At* Ergata *quid erit*? Arch. Ergata *est machina tractoria axe recto, quæ obnitentibus & in orbem euntibus vectiarijs, versatur; molitoribus nostris apprimè nota machina.* Pap. Succula *quid est*? Arch. Succula *est machina tractoria, tereti constans ligno duobus vectibus trajecto, circa quam funis ductarius obvolvitur. Vsus ejus est in attollendis trabibus & subvehendis è cella cadis vinarijs: ubi in duobus arrectarijs, quæ ab anteride sustinentur, succula ponitur transversa & inter duo chelonia i. e. ansas, arrectarijs tignis affixas versatur. Machina pânificibus in insolãdis pannis circa pannitendia usitatissima.*

Pap.

Pap. *Vectem v. quid esse vis?* Arch. Vectis *est palus ligneus, interdum ferreus, cujus adminiculo, onus vix multis mobile, unius operâ, subjecto hypomochlio promovetur, aut tollitur.* Pap. *Cuneus tandem quid erit?* Arch. Cuneus *lignisissoribus instrumentum familiare, quem tudide adigens quispiam, nodos cogit dissilire, durissimos.* Pap. *Hinc forsan illud? Duro nodo durus quærendus est cuneus.* Arch. *Sic est. Et sic quoque habes Staticam.* Pap: *Habeo. Tantumq; me ex te profecisse, vehementer gaudeo.*

ACTUS III. SCENA I. ASTRONOMIA.

Ptolomæus. Origanus.

PTol. Sethum *Astrologiæ cultorem fuisse post Adamum:* & Enoch *post Sethum. A. M.* 700. *passim creditur.* Or. *Nec aliter se res habet. Hinc Enoch appellatur* Atlas *senior. Nobis v. alter* Atlas *est, frater* Promethei, *qui* Astrono-

no-

nomiam *docuit. Idemne jam agunt A-ſtronomi quod olim?* Or. *Idem omninò:* Aſtronomus *enim contemplaturus aſtra, nè quid clam ſe iſtîc fiat, diſterminat ſibi Firmamentum in regiones certas; & per has tranſitiones Siderum obſervans, conſtruit* Hypotheſes, *quarum ope eorundem ſiderum curſus in futurum calculet.*

Ptol. *Cœli v. quomodo fit diſterminatio?* Or. *Diſterminatio cœli fit per imaginarios Circulos; quorum primarij ſunt Æ-*quator, Tropici, Zodiacus *&c. quos tu ita concipe. Stellas ire circulatim, quotidiana reditio ad loca eadem indicat: ergò cœlum eſt volubilis ſphæra: ergò habet axem, circa quem revolutatur: ergò &* polos *duos immobiles,* Septentrionalem & Meridialem: *inter quos (in medio Sphæræ) finge circulum maximum, erit* Æquator: *paralleloſq́ huic duos* Tropicos, *quos Sol deſcribit altiſſimus (æſtate), & humillimus (hieme): viam a Solis*

lis annuam, à Tropico hoc ad Tropicum illum (interſecantem duobus locis Æquinoctialem) vocant Zodiacum: *cujus rurſùm poli circuitione quotidianâ deſcribunt circellos Polares.* Ptol. *Intelligo. Ita ſcil. in ipſa cœleſti machina inviſibiliter poſitos, & cum illa revolubiles, notare licet Circulos: ſed & alios dari cuilibet loco proprios & immotos, audio.* Or. *Sunt & alij cuilibet loco proprij & immoti,* Horizon & Meridianus. *Hinc ubi-ubi ſtas, proſpectans circumcirca, vides* Horizontem: *confinia ſcilicet hemiſphærij ſuperioris ab inferiore: cujus centrum eſt ubi tu ſtas; poli autem, punctum in cœlo tibi verticale,* Zenith; *& oppoſitum huic (ſub terra profundè)* Nadir: *duc v. iterum circulum per Polos mundi, Zenith & Nadir, erit* Meridianus, *(ad quem delatus Sol, facit nobis meridiem.) Tu verò quis quondam vobis* Aſtrorum curſus *fuerit ediſſere.* Ptol. *Quod attinet Aſtrorum curſum, is uniformis eſt*

Fixis omnibus (quasi uno eodemque Orbe vehantur: inter quas primæ magnitudinis sunt 15. *(quindecim)*, Arcturus, Lyra, Sirius, *&c. secundæ*, 45. *(quadraginta quinque)*; *tertiæ* 208. *(ducentæ octo)*; *quartæ*, 475, *(quadringentæ septuaginta quinque)*; *quintæ*, 216, *(ducentæ & sexdecim)*; *sextæ*, 49, *(quadraginta novem)*; *obscuræ insuper novem, & nebulosæ quinque: omnes simul) quas in Europa videre possumus) præterpropter* 1020 *(mille viginti)*: *sed per Telescopia longè plures. Sed & redactæ sunt in certas Configurationes s.* Cōstellationes *stellæ?* Or. *Quas quæso, illas & quales?* Ptol. Duodecim Signa Zodiaci, *characteribus suis ita sunt insignita:* ♈ Aries, *(stellis constat* 19*)*; ♉, Taurus, 44, *(inter quas sunt* Plejades); ♊, Gemini, 31; ♋, Cancer, 28; ♌, Leo, 39; ♍, Virgo 40; ♎, Libra, 15; ♏, Scorpio, 27; ♐, Sagittarius, 32, ♑, Capricornus, 27; ♒, Aquarius, 33; ♓,

Pi-

Pisces, 35. Or. *Hæc intra fortassis; sed qualia extra Zodiacum habentur signa?* Ptol: *Alia jampridem* Borealia *dicuntur;* Australia *alia.* Borealia, *Vrsa minor stellarum* 8; Vrsa major, 32; Draco, 33; Hercules, 48; Cygnus, 31; Cassiopéa, 25. *&c. Inter Australia signa maximè conspicuus est* Orion, 39; Canis major, 18; Canis minor, 7, &c. &c.

Or. Planetæ *v. quidnam pro centro circumrotationis habent?* Ptol. *Compertum habetur, sicut* ☉ *&* ☽ (Sol *&* Luna) *pro centro circumrotationis suæ habent Terram, ita reliquos Planetas quinque habere Solem; quem ambit* ☿ (Mercurius) *orbe minimo, quadrimestri tempore;* ♀ (Venus) *duplo ferè majore, mensibus novendecim;* ♂ (Mars) *tam amplo, ut Terram quoque circumeat, sesquianno;* ♃ (Iupiter) *ampliore etiam, annis duodecim, minùs bimense;* ♄ (Saturnus) *amplissimo, annis viginti novē*

& se-

& ſemeſtri: qui omnes licet ſemper in motu ſint circa Solem, quia tamen aliâs apogæi, aliâs perigæi ſunt, videntur nob. jã directi, *jam* retrogradi, *jam* ſtationarij, *cum Fixis fixè procedentes.* Or. *Ergo & Planetæ ipſum permeant Zodiacum?* Ptol. *Progrediuntur itidem per Zodiacũ, at non tam exactè ut Sol: excurrunt enim à Solis via hinc & illinc (Boream versùs & Auſtrum versùs) plus & minꝰ Tu dic, quomodo veſtri Circulum dividunt Aſtronomi?* Or. *Aſtronomi omnem circulum (æquè parvum ut magnum) dividunt, in 360. (tercentum ſexaginta) gradus, hosq́ rursùm ſingulos in 60. (ſexaginta) minuta prima; & quodlibet horum in 60 ſecunda &c. usq́ ad decima minuta (ſeu ſcrupulos).* Ptol. Ephemerides *quomodo conficiunt?* Or. *Calculando Aſtrorum motus, conficiunt* Ephemerides: *h. e. conſignationes ad ſingulorm dierum horam meridianam, ubi quisq́ Planeta futu-*

futurus sit, & *quô ad invicem* Aspectu: *qui sunt*, Conjunctio, *in eodem signo*, & *gradu*, ☌; Sextilis *distantia per duo signa* ✱; Quadratus, (*seu* Quadratura) *per tria signa*, □; Trigonus, *per quatuor*, △; Oppositio, *per sex* ☍. *In Ephemeridibus quænam consignãtur amplius?* Or. *In E-*



phemeridibus consignantur Luminarum Eclypses, *postquam in causas, unde fiunt, penetratum est: nempe Solis deliquium contingere in novilunio, quum inter nos & Solem intercurrens Luna, illum opaco suo corpore obnubit, h. e. nos inumbrat: Luna v. eclipsatur in plenilunio, quando opposita Soli, incurrensq; in umbram Terræ, obnubilatur: quod ut non accidat qvot mensibus, facit Lunæ extra Solis viam*

[*Eclipticam*] *exſpatiatio.* Ptol. *Eſtne aliqua inſuper Aſtronomiæ appendix?* Or. *Ultima Aſtronomiæ pars* Computus *eſt Faſtorum*: [quô & ſpectat dierũ Hebdomadæ á Planetis de nominatio, ut dicantur *die Solis, dies Lunæ, dies Martis, dies Mercurij, dies Jovis, dies Veneris, dies Saturni. Menſes ſunt,* Januarius, Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, [*Quintilis*] Auguſtus [*Sextilis*] September, October, November, December: *quorum primo, tertio, quinto, ſeptimo, octavo, decimo, duodecimo, dantur dies* 31; *reliquis,* 30: *Februario* 28, *& anno biſextili* [*qvum dies unus intercalatur*] 29: *anno verò embolimæo acceſſio fit menſis addititij embolimi, h. e. decimæ tertiæ lunationis.* [*In Calendario Romano quilibet menſis dies numerat ante Calendas, nas, Idus.*]

ACTUS

ACTUS III. SCENA II. GEOGRAPHIA, Scylax. Ortelius.

SCyl. *Si quid sapientiæ studioso dignũ est, certè digna est inprimis* Geographia: *sive antiquitatem spectes, tractarunt eam ante diluvium primi artium inventores; sive copiam, auctoritatem & præstantiam, coluit illam atq; exornavit* Homerus: *amplificarunt*, Anaximander Milesius, Hecatæus, Polybi⁹, Strabo Dionysius, *cujus exstat* περιηγησις, Mela, Plinius, *omniumq; coryphæus* Cl. Ptolomæus. *Nostro ævo illustravit* Gerhardus Mercator, *tu quoq;* Orteli, *cum* Magino, Hondio, *alijsq; compluribus.* Ort. *Id jam pridem benè novi. Si utilitatem artis consideres, an ulla alia Philosophiæ pars majorem Rebuspubl. adferat commoditatem, nescio. Sine hac, labat* historia & *omnia rerum antiquarum monumenta cæca sunt: sine hac,* Theologus *situm terræ* Cha-

naan & *Ægypti locorumq́ in utroq́ fœdere memoratorum, ignorabit: sine hac* Medicus *herbarum præcipuarum atq́ aromatum naturas non intelliget: Sine hac* Iurisperitus, *Legum pro terrarum varietate imperitus, Politici nomen vix poterit obtinere. Tu itaq́, perantique Darij informator & ætate tuâ & veteri dignum quid profer* Geographiâ! Scyl. *Ut ne simus ignari domicilij nostri, efficitur per* [1] dimensionem Terræ, *in longum & latum;* [2] disterminationē Regionū *habitabilium & inhabitalium;* [3] descriptionemq́;, *quid egregium hîc, illic, isthic, obveniat; sive pictis* Tabulis Geographicis [*aut* Globo terrestri] *sive* enarrationibus historicis. Or. *Quib. argumentis constat Terram esse globosam?* Scyl. Terrā esse globosam, *patet, quia ab Oriente in Occidentem undiq́ versùm Sideribus ambitur, & maribus circum navigatur; transversim*

verò

verò euntibus Poli mundi elevantur & deprimuntur, unde & Globi terreni magnitudo percognoscitur: nempe quia tẽdenti ab Austro in Boream (aut retrò) singulis quindecim milliaribus Germanicis polus Arcticus attolitur, Antarcticus devergit, (aut contrà), gradu uno: evincitur, totum terræ ambitum (graduum 360) esse 5400. milliarium; diametrũ ejus, 1800; semidiametrum (à superficie Terræ ad centrum ejus) 900. Or. Latitudo Lõgitudoq; Terræ unde æstimatur? Sc. Latitudo terræ æstimatur ab Æquatore versùs Polos, utrinq; per gradus 90: Longitudo v. ab Occasu in Ortum per integrum circuitum, 360 graduum: initio sumto à primo meridiano, quem ad fines Europæ (in insulis Canarijs) constituũt. Ort. Ex latitudine terræ quid prodit? Sc. Ex latitudine prodeunt quinq; terrestres Zonæ: media, interjacens Tropico Cancri, & Tropico Capricorni, vocatur Tor-

 rida:

rida: *extremæ duæ* Frigidæ, *intra circulos polares comprehensæ: totidemq; *Temperatæ, *inter has frigidas, & torridam illam, alterutrinq; sitæ.* Ort. *In æstuosa Zona quinam sunt ardores.* Scyl. In æstuosa (*Zona*) *propter perpetuam Solis verticalitatem, vehementissimi sunt ardores, perpetuansq; æquinoctium:* Ort. *In frigidis plagis unde tantum frigus?* Scyl. *Contra* in gelidis *plagis, propter continuam Solis collateralitatem, vehementissima frigora; subq; ipso Polo sex mensium dies, totidem nox:* Ort. *Est igitur aliqua in tractibus temperatis aëris alternatio?* Scyl. In tractibus temperatis *grata est alternatio tempestatum, cum successivis dierum ac noctium incrementis ac decremetis.* Ort. *Zonæ istæ quid amplioris innuunt considerationis?* Scyl. *Hoc, quod inde inoriantur Climata, per unius semihorij interstitium: nam qui longissimum diem habent horarum* $12\frac{1}{2}$ *(duo*

decim

decim cum dimidia), *habitare dicuntur ſub climate primo; qui horarum* 13. *ſub ſecundo: & ita conſequenter. Tu verò, mi Orteli de Continente ex recentioribus, ſi quid habes, ediſſere tabulis.* Ort. Continentes, *maribus à ſe invicem diſterminatæ, quinque recenſentur*, Europa, Aſia, Africa, America, Magellanica: *quarum ſingulæ continent* Regiones *vaſtiſſimas* (*tum* maritimas, *tùm* mediterraneas, *in meditullio ſitas*); *circa ſe a.* Inſulas *plurimas, Gentibus & Linguis diſſociatis repletas: unde Tellurem undique habitari, alioſque alijs eſſe* Antipodas, *jam conſtat.* Scyl. Europæi *qui ſunt?* Ort. *Europæi incolæ ſunt:* Hiſpani (*cum ſibi conterminis* Luſitanis,) Galli, Belgæ, Angli, Scoti, Hiberni, Dani, Sveci, Norvegi, Lappones (*accollæ maris glacialis*) Ruſſi (*Moſcovitæ*) Lithvani, Poloni, Bohemi, Germani, Itali, Siculi, Dalmatæ, Hũgari, Græci, Valachi: Scyl. Aſiani *qui-*

nam sunt? Ort. Asiani *sunt* Turcæ, Arabes, Armeniani, Persæ, Indi, Chinēses, Scythæ (*nunc Tartari*]: Scyl. *Quinam* Africani? Ort. Africani, Ægyptij, Barbari, Abyssini (*Æthiopes albi*) Mauri, (*Æthiopes atri*), Cafres, *&c.* Scyl. *At vero* Americani? Ort. Americani, Mexicani, Peruviani, Brasilienses, *&c. nudi & investes: Magellanici nobis adhuc incogniti sunt.* Scyl. Montes *per Orbis partes qui jam sunt insigniores?* Ort. Montes *celebrati sunt; in Europa,* Alpes, Pyrenæi, Carpatus, *&c. in Asia,* Taurus, Caucasus; *in Africa,* Atlas *&* Montes Lunæ: Flumina *v. famosa; in Europa:* Danubius (*seu* Ister, *binominis enim est*) Borysthenes *&c; in Asia,* Indus, Ganges, Oby, *&c; in Africa,* Nilus, *septem ostijs in mare se exonerans; in America,* Maragnon, *&c.* Scyl. Vrbes *verò inter tot populos quænam celebriores?* Ort. Vrbes *inclytæ*

sunt;

ſunt; in Europa, Conſtantinopolis, Roma, Venetiæ, Lutetia (*Pariſiorum*) Lisbona, Londinũ, Amſterodamũ, Praga, Gracovia, Moſqua, &c, *in Aſia*, Alepo, Bagdet (*cis Euphraten*), Ormº, Goa, Cabalu, Quinſay, &c; *in Africa*, Alcair, Feſſa, Maroco, &c; *in America*, *Mexico*, *Cuſco*, *Lima &c. Satin' de his?* Scyl. *Satis omninò. Video homines prodire (niſi me oculi fallunt) ultro utroq; oculatos, Jano bifronti perſimiles.* Ort. *Chronologos vides, annos Mundi & anteriora poſterioraue ſeculorum connumerantes tempora.* Scyl. *lubet audire?* Ort. *Lubet & mihi.*

ACTUS III. SCENA III. CHRONOLOGIA.

Euſebius, Naucleus.

NAucl. *Tu qui tempora ab orbe condito uſq; ad Annum Domini 330. ſcripſiſſe diceris, dic quid peculiare præſtet Chronologus?* Euſ. Chronologus ſup.

supputat, quâ ætate Mundi hoc illudvé acciderit, & quantùm præsens tempus distet à rerum exortu, vel alia quapiam observabili periodo: ut, ubi jam simus, & quid ante nos gestum fuerit, nè simus nescij. Naucl. *Scio. Hinc* Epocha communis, *unde annorum series numerentur, jure debuit omnibus esse ab Orbe condito: sed quia istud initium plerisq́ fuit incompertum, assumsit quælibet gens aliũ memorabilem terminum; supputaruntq́* Judæi *olim ab exitu suo ex Ægypto, nunc à desolatione Hierosolymæ;* Græci, *ab Olympiadibus, quas celebrari quinto quoq́ anno (inclusivè, aut quarto exclusivè)* Iphitus *instituerat;* Romani, *ab Vrbe condita;* Christiani, *à nato Christo: Turcæ, à fuga Mahomedis (vocãt* æram Hegiræ) *&c; Reges deniq́ auspicantur æras suas à cœptu Regnorum suorum.* Eus. *Miror, nihil ex veteri certi prostare historia?* Naucl. *Priscorum ruditas*

non

non habuit alias Historias, *præter quas sibi narrabant, aut erectis quibusdam monumentis (ut dispositorum hincinde lapidum, ligatorum in fune nodorum, &c) posteris innuebant: veniebant tamen nihilominùs res in oblivia aut transformabantur in fabulas: demùm postquam increbuerunt literæ, cœperunt res gestas unà cum circumstantiis (ne quid afficticii, aut subditicii, irreperet) inferre in* Commentaria. Eus. *Placetné autem tibi* Chronicorum *quoddam breviarium audire?* Naucl. *Placet.* Eus. *Singularia quædam carptim memorabo, de præcipuis mutationib⁹ generis humani. Primordia ipsa inauspicata nobis fuerũt! quia* Adam *cum sua* Eva, *ad imaginem* DEI *facti, & Creaturis dominari jussi, concesso privilegio abusi sunt: primigeniusq́ Adæ, cui nomen fuit* Caino, *truculentus fratricida, occiso* Abele, *tradidit se cum tota sua progenie impietati,*

ejusq́;

ejusq́ imitatione actutùm omnes. Naucl. *Malè agitur, ubi sic principia malè habent.* Euſ. *Indoluit DEVS, quòd fecisset hominem, immissoq́ Cataclyſmo delevit omnes; excepto* Noâ, *cum suis in Arca servato, A. M (h. e. Anno Mundi)* 1657. *sed priùs ad sepios eripuit, inter quos fuit* Enoch, *vivus translatus in cœlum: cæteri primævi valdè quidẽ longævi fuerunt, nullus tamen attigit millesimum annum.* Naucl. *Quæ igitur facies, post Cataclysmum & Noæ tempora, rerum fuit?* Euſ. *A filijs* Noæ *disseminatæ sunt familiæ gentium, à* Semo *Asiatici, à* Japheto *Europæi, à* Chamo *Africani, & (ut probabile est) Americani: cùm A. M.* 1757. *(centesimo post* Diluvium*) cæpisset ædificatio turris Babel, unde orta fuit Linguarum confusio, & Gentium dispersio, rursumq́ inchoata recollectio sub Regibus, quibus præcelluit Assyrius,* Ninus. Naucl. *De Sodoma & Gomorrha*

ha nihil habes? Euf. *Tertiò inde seculò, quũ* Sodoma *&* Gomorrha *ob spurcissimas libidines igne cælitùs demisso subvertebantur,* Loth *miraculo ereptus fuit; Uxore respectante, & in statuam salis versâ.* Naucl. *Quo verò post tempore Moses Israelitas eduxit ex Ægypto?* Euf. *Quadringentis pòst annis (A. M. 2453.)* Moses *eduxit populum Israeliticum ex Ægypto, per mare rubrum, sicco pede; submerso* Pharaone *cum exercitu eos insequente: dehinc* Israelitæ *annis* 40. *pascitabant in deserto* mannâ; *dumq́; pro obtinenda terra* Canaan *pugnabant, ad preces* Josuæ *Sol occiduus stetit toto die.* Naucl. *Samsonis res gestæ & Trojæ excidum, tibi (ut audio) sunt contemporanea?* Euf. *Circa A. M.* 2790. *claruit* Samson, *tantâ virium pollentiâ, ut manu leonem discerperet, peramplumq́; ædificium uno nixu convelleret: cujus tempore* Troja, *post decennalem obsidionem*

(ob

(ob raptum Helenæ) excîditur: proximo inde seculo David, *Regum pientissimus regnat; illi verò* Salomon, *mortalium sapientissimus, succedit.* Naucl. *Elias quando prophetavit?* Eus. *Circa A. M.* 3040, Elias *propheta claudit & recludit cœlum precibus, igneoq; curru rapitur in cœlũ: A. M.* 3240 Ezechias *tria mirãda impetrat;* primò, *ut ei (jamjam moribundo) vitæ anni quindecim adjicerentur:* secundò *ut Sol visibiliter fieret retrogradus:* tertiò, *ut in exercitu* Sennacheribi, *regnum ejus vastantis, unâ noctè trucîdarentur ab Angelo* 185000. *A. M.* 3360. Nabuchodonozor *ob superbiam conversus fuit in belluam, ut septennio pererraret montes, gramine pastus: in cujus filio desiit Monarchia Chaldeorum, trãsitq; ad Persas, sub* Cyro. *A. M.* 3492, Xerxes *educit contra Græcos* exercitum ter & vicies centenorum millium, *& vincitur tamen: cen-*

tesi-

tesimo a. & quinquagesimô inde annô Alexander Magnus, *eversâ monarchiâ Persicâ, de subjugato Orbe triumphat, juvenis 32. annorum, derepenteque moritur: (cujus tempore confectura chartæ reperta est.)* Naucl. *Romanum a. quando cæpit Imperium?* Eub. *Sub decursum quarti penè millenarij, arripiunt* Romani (*edomitis undique Regibus terræ*) Imperium Orbis: *cujus primus Monarcha fuit* Iulius Cæsar, *hinc* Augustus, *sub quo* (*A. M.* 3970) *nascitur.* CHRISTVS. *Tu jam, qui ad* CHRISTI 1500. *Chronologiam pertexuisti, notatu digniora edissere.* Naucl. *A.Ch.* (*Anno Christi*) 324. Constantinus Imperator *fit Christianus, ædificataque Constantinopoli, trasfert eô sedē, & constituit* Imperium Orientale, *occupatū pòst* [*A.C.* 1453.] *à Turcis, qui Mahomedē natum* [*A.C.* 551] *sequuntur.* Eus. *Vis Magnetis quando innotuit?* Naucl. *Circa A. C.* 1300, *innotescere cæpit* vis

Ma-

Magnetis, *quá se ad polos mundi obvertit: quod ansam dedit fabricandi* Pyxidem nauticam; *cujus ope alterum Orbis hemisphærium detectum, totusq́ Mundus navigationibus pervius factus est: ut Gentes priùs seclusæ, & sibi invicē ignoratæ, communicationem utilitatum colere jam possint.* Eus. *Typographia quibus debetur temporibus?* Naucl. *Secuta est (A. C. 1442.) inventio* Typographiæ, *cujus beneficio* Libris impletur Mundus, *& quicquid sciri potest, protrahitur in lucem: quæ utraque ars,* [Nautica & Typographica] *ad diffundendum* Sapientiæ lumen, *& fundandum inter Nationes* Sapientiæ commertium, *accommodatissimum est medium; si modò Gentes nō se invicē vilipenderent: & cur? ubiq́ aliquid boni & mali est. Reliqua domi meis leges in Commentarijs, si placet?* Eus. *Sanè. Eamus domum tuam.*

ACTUS

Actus IV. Scena I. Logica.
Simonides, Prometheus.

Sim: Logicus *intendit in processum Cogitationum, ut eas evagari non permittat, aut reducat mox in viam: ars necessaria, si ulla!* Prom. *Ejus si optas videre Epitomen, ex me, qui primus Græcos* Logicam *docui, disce Prometheo.* Sim. *Lætor admodùm tali tantoq; Magistro, perge modo ego me jam præbeo attentum.* Prom: *Quicquid meditationi objicitur, (de imperceptis n. meditari non possumus) aut est* ignotum *(quod scilicet nescitur, an sit, vel quid sit, vel quantum sit, quale, ubi, &c); aut* incertũ, *(de quo nimirùm dubitatur, nùm sit; vel nùm sit id, quod esse dicitur, aut putatur; vel nùm tantum, tale, ibi, &c;) aut* confusum, *[qvum videlicet multa simul menti se offundunt, eamq; obruunt.* Sim. *Si ignota, si incerta, si confusa caput feriunt, satin' etiam sapit Logicus?* Prom:

Dialecticus igitur, laborans ignorata eveſtigare, dubiorum veritatem *aut* falſitatem deprehendere, indigeſtaq́; in ordinem redigere; *pertentat omnia vel* ſenſu, *ſi res coràm haberi poteſt; vel* ratiocinatione, *ſi rei clarè non proſtantis aliqua tamen adſunt indicia: vel alienis* teſtimonijs, *ſi aliter nequeat*. Sim. *Rem inexploratā quomodo explorat ratione?* Prom. *Quando inexploratū explorat Ratione, perquirit ea quæ circa ſunt:* Cauſas, [*finalē, formalē materialē, efficientē*] & Effecta; Subjecta, & Adjuncta; Conſentanea & Diſſentanea; Similia & Diſſimilia; Diverſa & Adverſa, *ſeu* Contraria: *ex his demum exſtruens ſeu* Definitionē *accuratam, ſeu* Deſcriptionē *qualemcunque*. Sim. *Tum v. quid agit amplius?* Prom. *Tum progreditur ad rei* Diviſionem, *bimembrem, trimembrem, quadrimembrem, &c (prouti ſe res dat:*

Exem

Exempli gratiâ, *Homo dividitur* bipartitò, *in Animam & Corpus*: *Corpus* tripartitò, *in caput, truncum, artus*: *Annus* quadripartitò, *in Ver, Æstatem, Autumnum, Hiemem*), *ut omnia particulatim videat*. Sim: *Divisio ista, quid est?* Prom: Divisio *aut* Distinctio *est*, *quá res à se ipsa, aliter & aliter considerata, distinguitur*, (*ut, idem Homo, infans à puero, juvene, sene*): *aut* Partitio, *quâ Totum dividitur in partes*, (*ut Homo in Corpus & Animam*): *aut* Distributio, *quâ genus in species dispescitur*, (*ut, Homo in marem & fœminam*.) Sim. *Ex inventis cogitatibus quid sit tandem?* Prom. *Ex inventis cogitatibus fiunt* Theses, *sive* Sententiæ, *quibus jam aliquid de aliquo affirmatur aut negatur*: *in quarum unaquaq; tria concurrunt*, Subjectum, Prædicatum, *interveniensq;* Copula: (*ut*, Logica–est–discenda): *quæ tria si necessariò cohærent, fit effatum indubi-*

tatæ certitudinis, Axioma. Sim *Ego sic rem animo concipio. Si quis dubitat, an* Prædicatum *de* Subjecto(*sive*, terminus major *de* minore) *rectè affirmetur, vel negetur probat, assumto* termino medio, (*ut* (1) Logica *est* (2) discēda, *quia* (3) utilis:) *facitq; inde* Syllogismum, *per tres propositiones, è tribus terminis, ter transpositis, cōstructas: quarum prima*, Major, *ratiocinij basin proponit, sic*; Vtilia sunt discenda: *subsumit* Minor, Logica est utilis: *sequitur* Conclusio, Ergò Logica est discēda. Prom. *Benè*. Sim. *Ita ex præmissis & concessis Propositionibus duabus, infertur tertia, quâ incertitudo tollitur: (Notabis a. interdum præmissarum alteram dissimulari, expressè non poni, subintelligi tantùm, fieriq; Syllogismum defectivum*, Enthymema: *ut*, Logica est utilis, Ergò discenda; *vel*, Vtilia sunt discenda, Ergò & Logica.) Prom: *Quid*

Quid si cōtroversum & pro & contra (ut loqui amamus) disputabile quid occurrat? Sim. *Quæstio magnopere controversa, & in utramq; partem disputabilis, dabit* Disputationem; *ubi alius pro affirmativa parte, alius pro negativa, argumentatur, alterq; alterius argumenta & objectiones solvit, donec veritas patescat: sed* Disputator captiosus, *qui argutatur, (h. e. argumentatione fallaciter detortâ illudit,)* Sophista *est.* Prom. *Turbata & confusim se oggerentia, quomodo sub classes revocat suas?* Sim. *Quando indisposita, indiscreta, confusim se oggerentia, discernenda sunt, aut disturbata redigenda in ordinem,* Methodus *est, habens tres summas leges:* primam, *ut eatur à notioribus ad ignotiora (h. e. à Toto ad partes, hinc ad particulas; & à generalioribus ad specialiora):* secundâ *ut omnia cohæreant, quomodo ab invicem fluunt, ut notio notionem trahat (sicut in*

catena annulus ab annulo trahitur): tertiam, *ut omnia exprimantur verbis perspicuis, nihil ambiguitatis habentib⁹.* Prom. *Futiles Sophistarum argutias quâ diluit Logicus dexteritate?* Sim. *Secundum has regulas* Logicus *procedens, si* sophismata *in verbis latitare animadvertit, Voces obscuras declarat, ambiguas distingvit, indeterminatas determinat, indefinitas limitat, generales restringit, si quid largius sumi possit, nominatim excipit; omniaq́ rationibus evincit, ut Conceptus clari sint; potenter sic tenebricosa dilucidans, paralogismos refutans, inordinata digerens.* Prom: *Synthesis, Analysis, Syncrisis, quid sunt?* Sim. *Propria cogitata ita perspectè contexere,* Synthesis *est; aliena retexere, A*nalysis; *alia cum aliis conferre,* Syncrisis: *quarum inscientia facit perplexitatem. Sed ecce Lullium cum arte brevi & magna, generali & ultimâ.*

Actus

ACTUS IV. SCENA II. MNEMONICA.
LULLIUS.

MEmoria, ſcientiæ noſtræ conditorium, etiam excoli poteſt, ad perceptorum citam impreſſionem, firmam retentionem, promptamq́ redditionem. Poſtquam experimentis deprehenſum eſt, eam notitiones concatenare, & per veſtigia recognoſcere, invenerunt Mnemonici machinamenta, certas Imagines, per loca certa diſpoſitas, quarum intuitu (per tenebras quoque, & abſentiam), fortiſſima fit imagitatio, & prævalida retinentia earundemq́ reiteratione, ad miraculũ velox reminiſcẽtia. Sed hæc Localis Memoria creditur debilitare judiciũ, præcipuũ hominis bonũ; & facere ex homine pſittacũ, recitatorẽ alienorũ: tutior ergò Memoriæ cultura fuerit, attẽta Rerũ ipſarum in loco proprio, & forma propria, intuitio, penſiculata dijudicatio, crebra iteratio: immorando nempe rebus, & praxi rerum, quantùm opus.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA III. PROGNOSTICA.
Zadoc. Chiron.

ZAd: *Desiderium præsciscendi futura, innatum humanæ menti, adinvenit artes divinationis: non tamen sine admistione vanitatis.* Chir. *Haud aliter puta.* Physiognomon *n. conjectat futuros eventus è lineamẽtis* (speciatim *Chiromantes,* è lineamentis manuum; *Metoposcopus*, è lineamentis frontis) Oneromantes *v. ex insomnijs.* Zad. *At Astrologus quomodo erigit themata Natalitia?* Chir. Astrologus *inquirens astrorum in sublunaria influxum, erigit ad quodvis datum tempus* Schema cœli; *è quo, Planetarum tunc futuros aspectus considerans, constitutionem tempestatis, fertilitatem annonæ, & similia contingentia, prædivinat: quin & è* positura siderum *sub nativitatis horam, de nati vitâ & morte, sanitate & morbis, temperamento & moribus, fortunâ & infor-*

tunio,

tunio, conſcribit prognoſticon. Sed antiquata quædam jam eſſe audio prognoſtica? Zad. *Antiquata jam ſunt* Paganorum auguria; *ubi Augur ex avium garritu, aut volatu;* & Aruſpicina, *ubi Aruſpex ab inſpecta ara;* & Extiſpicium, *ubi Extiſpex diſpectis extis ſacrificiorum;* & Sortilegium, *ubi Sortilegus ex projectis ſortibus, vaticinabatur;* & *quæ plures ejuſmodi illicitæ* hariolationes *fuerunt.* Chir: *Interdicta etiam quædam?* Zad. *Interdicta quoque eſt* Magia infamis, *ubi Magus cum genijs malis colludens;* & Necromantia, *ubi Necromantes diabolum ſub alicujus demortui perſonâ evocans, & adjurans, arcana ſcitatur: ſed viro ſapienti tam periculoſâ curioſitate neutiquam opus eſt, qui experientiâ rerum edoctus, multos effectus in ſuis cauſis prænoſſe poteſt: Vnde ſcitulum illud,* Omnis bonus Philoſophus (Medicus, Iureconſultus, Theologus) vaticinator.

EPI-

EPILOGVS.

Habetis Auditores, Mathesin in nuce. *Quærat quis? Quid ergò numerant, mēsurant, ponderant, Philosophi? Omnia:* *sunt tamen illis* solennissimæ dinumerationes, dimensiones, collibrationesque, (1) Cœli, *in Astronomia:* (2) Terræ, *in Geographia:* (3) Temporum *in Chronologia:* 4. Cogitationum, *in Logica, Mnemonica, Prognostica: quas jā dimus:* (5.) Actionum moralium *in* Ethica: (6) Sermonis, *in artibus Philologicis; si nos* DEVS *superstites servaverit & incolumes, dabimus propediem.*

PLAUDITE.

Sint Mecœnates non deerunt, FLACCE, Marones!